



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Isagoge Ad Amorem Divinvm

Pennequin, Pierre

Antverpiae, 1661

2. De Contritione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47132)

In Ps. 58.

quit, quia esse amem, nihil tamen impunitum prætermittere possum; idcirco punias te, aut puniam ego. Id ipsum valde mortaliū mentibus imprimere conatur S. Augustinus. *Omnis, inquit, iniquitas parva, magnaue sit, puniatur necesse est, aut ab ipso homine penitente, aut à Deo vindicante: prosum aut punis, aut punis: vis non puniat, puni tu: nam & illud fecisti, quod impunitum esse non possit.* Hanc eandem veritatem tanquam divinæ Justitiæ argumentum præcipuum in sua illa super, *Ecce nos*, declamatione, exaggerat S. Bernard. optans ab unoquoque nostrum bene apprehendi: *Nullum scilicet bonum apud Deum esse irremuneratum, nec aliquod malum impunitum, & sicut nec capillum de capite, ita nec momentum de tempore perituum.*

II. Exemplo hortulani hortum excolentis.

Ex quo efficitur; hominem Dei amantem non tantum displicentiā aliquā, sed odio plusquam vatiniāno contra sua peccata, eorumque punitionem ferri. Vides aliquem hortulanum ægrè quidem pati hortulum suum malè compositum, herbis inutilibus refertum, sepes, arcolas, arbores, culturam exigere advertit, & quidem hoc ei displicet; sed manum non admovet: alterum verò, qui verè hortuli sui instaurationem & pulchritudinem amat, continuo in his ordinandis & istis evelendis omni diligentia incumbit

re: in illo est aliquid displicentiæ, in hoc odium. Cùm S. Augustinus, S. Chrysostomus, S. Thomas, & Seneca ad virtutis consecutionem, vitiiq; extirpationem, unum *Velle* requiri dicunt: exigunt *Velle*, quod imperet, & exequatur; quod animosè aggrediat, & constanter prosequatur, & perseveranter feliciterque finiat. Hortor ego te ad illud *Velle* generosum in tuis defectibus puniendis, memor Tertulliani pronuntiati: *In quantum non peperceris tibi, Deus tibi parcat*: sed paulò distinctius de contritione, & emendatione nobis agendum.

De peccatis.

§. 2.

De Contritione.

Contritio est Amoris sancti Soboles; ut enim Amor omne bonum amato vult, ita ab illo omne malum propulsare nititur, & cùm illud accidit, dolet; si id suā culpā evenerit, mœrore doloreque conteritur atque conficitur, & remedium adferre, ac restaurare damnum, & cum amico redire in gratiam omni contentione enitatur. Ita fit ut anima per peccatum Dei Majestatem violatam, bonitatem contemptui habitam, sanctitatem turpiter scædatam bene apprehendit, &

III. Contritio est Amoris sancti filia.

Fff 2

hæc

hæc omnia Deo ipso spectante, prohibente, & facti punitionem, inimicitiamque minitante. Quam viros Principes tam præfracta commoneat audacia, ostendit aliquando Bajazet & Turcarum Imperator. Ille mane cum tribus pueris honorariis ponè sequentibus hortum obambulans, vidit ex arbore, manu suâ confita, tum primum fructum ferente, tria poma pendere; delestarunt illum hæc sui laboris primitiæ, vetuitque ne quis aunderet poma illa contingere: & ecce ubi per reliquam horti partem exspatiatus illac redit, videt duo dumtaxat poma superesse, unumque furtivâ manu decerptum, suspicatusque id ab aliquo trium Epheborum perpetratum, tanto furore exarsit, ut truci vultu illos adorsus, vel solis oculis facinus exprobraret. Cùm omnes factum negarent, uni ex illis, de qua potissimum erat suspicio, ventrem excindi iussit, & si pomum in illo repertum non fuisset, eadem pœna ad alios duos promanasset. Pomi istius valor tantus non erat, ut iram suppliciumque tam crudele mereri videretur, sed Imperatoriæ Majestatis contemptus, & præcepti in ejus pro-pemodum conspectu violatio, & Regiæ oblectationi à puero anteposita effrænâ gulæ satiantis cupiditas; hæc severâ animadversione vindicanda fuif-

2.
Ex Dei
contem-
ptu oritur.

se nullus est qui non videt. Ita dum Deus injuriam peccato sibi illaram, ad eò sentit & persequitur, non est quod bonorum nostrorum egeat: sed quod amicitiam suam gratiamque mille mundorum gazis pretiosorem contemni conculcarique videat, & ab homuncione rei vilissimæ postponi; & hoc ipsum est, quod peccatorem ipsum vult perentisecere.

Demus Regem aliquem optimum, munificentissimum, & amantissimum alicui ex aulicis in dilectionis suæ argumentum gemmam donasse ingentis pretij, eâ conditione, ut illam diligenter servaret, nec negligentia aut incuria perderet, multò minùs, vili pretio distraheret; hic nihilominus, vino captus, & Regiæ voluntatis aut oblitus, aut contemptor gemmam illam cum re vilissima commutat, & alieni juris facit: quomodo Regem id ferre existimas, & quo animo aulicum esse, dum ejus impudentiæ plenum facinus ad aures Regis pervenisse intelligit, ejusque se offensionem incurrisse, & jam se ab illo proscriptum, & ab aula ejectum, & suppliciis obnoxium agnoscit, quantus inde dolor, quanta pœnitudo hominem incescit, quid non agit & molitur, ut gemmam recuperet, & cum Rege amicitiam resarciat?

Filius

4. Aliud.
Filius aliquis temulentus dum noctu fuste armatus plateas obambulat, & obvios quosque malè mulctat, fortè Patrem suum foris cæhatum, & cum amico domum redeuntem incognitum pessimè excipit, & verberibus onerat, vulneribusque deformem ac semiluxatum ibi relinquit; postidie mane ubi vina decoxit, intelligit, quanto furore in Patrem, à quo amabatur, sit debacchatus: quis tum illi animi sensus? quæ perturbatio: ubi injuriæ magnitudinem, parentis dolorem, suam effrenem impudentiam propiùs aspicit; tum vix sui compos, & seipsum non ferens, Patrem in lectulo ex membrorum contusione jacentem adit, & pudore simul ac dolore oppressus, ad ejus pedes prostratus, verbis, quibus potest, seipsum accusat, culpam exaggerat, & fustem, quæ facinus admisit, Patri representans rogat cum lachrymis, ut cum illo pœnas criminis à se repetat, & tantam injuriam quibus volet modis, ulciscatur; modò veniam donct, & in gratiam recipiat, cætera omnia se flocci facere. En contritionis exemplar.

Faber in conc.
5. Aliud.
Simile quid, sed funestius evenisse memorant Tirolenses annales. Erat Principi cum finitimis bellum, dumque jam collecto exercitu in illos movet, Parens adhuc vegetus comitem se dare

vult, & renitente licet filio impetrat: dum fervet prælium, & miscentur arma, filius separatur à Patre, & pulvere, fumo, confundentibus omnia, & amicorum inimicorumque notitiam eripientibus parentem, ignotum, hastâ transverberat, ejusque frustum relinquit in pectore. Finito prælio victor filius Patrem requiri jubet: is inter mortuos jacens reperitur. Quod cum audisset filius, ad cadaver deduci voluit, cumque illud fixus & immobilis intuetur, & hastæ frustum examinat, Patrem à se peremptum agnoscit, & doloris magnitudine obrigescens, hastæ semifractæ innixus, moritur, quod Oeniponti statuis ex ære fuis expressum etiamnum visitur: amabat scilicet & reverebatur impensissimè parentem suum, unde amoris par dolor succedens attonitum deque injuriæ magnitudine pœnitentem oppressit.

Ita illa quæ sceleris expiandi gratiâ, à fratre ducebatur ad claustrum in tres latrones in S. Vincentij concione; & parens incestus ad pedes Archiepiscopi confitens ex contritione cordis, ingentique peccatorum pœnitudine diem extremum obierunt.

Non sunt quidem ad contritionem, qua de agimus, ista cordis sensibilia vulnera necessaria, quæ in voluntate peccati que propter

F ff 3 Deum

In vitis PP.

6. Dolor qualis optandus.

Deum tam amabilem offensum solidâ detestatione consistit: quæ sine singultibus & lachrymis, sine cordis sensibili perturbatione in suprema hominis portione exerceri potest. Non omnes, tam profusos lachrymarum imbres, non cordis sensibiles motus habent in promptu: & ubi sicca & arida sunt omnia; si tamen ita commissas culpas detestaris, ut vel tuo sanguine & morte Deo tam bono injuriam illatam obliterari velles, & si possibile foret, quocumque pretio facinus Deo injuriosum & invisum velles infectum; habes, unde de contritione sufficienti tibi gratulari possis.

7.
Quales nō
necessarias

Non est quod angaris si à te impetrare non possis nobilis istius de peccatis admissis pœnitentiam, qui cum laqueo vitam finire deberet, mille alias mortes optabat, & cruciatum varia generâ, ac ignominias postulabat. Non est quod te examines, an tantum animi haberes quantum illa fœmina, quæ cum apud summum Pontificem se accusasset de incestu cum filio admissio, iussa est in illa nocturna veste, quâ facinus commiserat, in Consistorio Cardinalium coram se comparere; quod cum fecisset, absolutio- nem criminis nullâ aliâ injunctâ pœnitentiâ ab ipso accepit, quod prudenter judicaret Pontifex tantum peccati horrorem detesta-

Bronius ad
annū 1215.

tionemque, quod illo publico de- honestamento monstrabat, ad omnis culpæ pœnæque remissionem satis esse. quod Deus suo calculo comprobavit; cum enim è Cardinalibus unus tantum Pontificis in tam enormi scelere condonandæ facilitatem non probaret, conversus ad illum Pontifex: Aut ego, inquit, male egi, aut tu factum meum injustè reprehendis: si male egi, Deum rogo, ut continuò me puniat; aut si tu factum meum suggillando peccasti, in te etiam ille animadvertat, & confestim à dæmone in omnium conspectu obfessus, tortusque innocentia Pontificia publicum dedit argumentum, quod corroboratum fuit, dum paulò post tam Pontificis quàm Cardinalium precibus à malo hospite est liberatus.

Quis quæso ab aliquo ausit requirere, quod celebris concionator, Volco nomine, ab usurario exegit? hic ut pertinacem hominis animum ad injusti lucri detestationem induceret, iussit, ut in plurium præsentia arcas, quas auro malè parto compleverat, aperiret: inventæ sunt illæ non auro, sed bufonibus aliisque venenatis animalibus refertæ. Tum Volco ad usurarium conversus: Vides, inquit, mi homo, quantum Deus rapinas odet, quantum malum ob illas in caput tuum impendat: si

Ibid. ad ar-
num 1198.
8.

Locum
malè par-
tum.

in via
Ludovici
c. 94.

9.
Joivi
impia
optio.

si hoc malum avertere, & Deum habere propitium velis, suadeo tibi, ut nudus in hac te cista concludas, & ad diem crastinum inter venenata illa animalia volueris. Ille fide armatus, depositis vestibus in cistam descendit, eam Volco obserat, & adstantes adesse die sequenti ad spectaculum jubet, mirabilium Dei operum testes futuros. Ubi diluxit, illis presentibus cista recluditur, inveniuntur in ea ossa hominis supra nivem candida, quæ ab eodem Volco proficiente clero, & multo populo honorificè ad locum Sacrum delata ibidem sepulta sunt.

Non, inquam, hæc similia ad pertentandum animum tuum tibi cogitatione representes, ut ad illa velut ad amissum, aut lapidem lydium, contritionis tuæ bonitatem examines: superflua sunt ista, & periculosa: ut liquet in Domino de Joinville, qui cum sancto Ludovico in Palæstinam profectus est, & ab illo res ibi gestas descripsit: hic enim ab eodem Sancto rogatus, an non potius lepram eligeret, quàm Deum lethali scelere offenderet: respondit se potius triginta peccata mortalia commissurum, ut lepram evaderet; de quo graviter à Rege reprehensus, non ideò tamen infamiam suam, & quàm longè abesset à regno Dei, quàmque circa

prima salutis principia deliraret, miser agnovit.

Sed his omiſſis quæ admirabilitatis plus habent, quàm imitationis, nos Christum exercendæ contritionis modum & exemplar in Episcopo proponentem apud S. Brigittam audiamus. Ille Prælatuſ, inquit, pro quo Sponſa rogas me, jam ad me reversus est tripliciter. Primò sicut homo nudus; secundò habens in manu gladiũ; tertio extendens manum & petens veniam: venit nudus, quia se virtutibus, operibusque bonis vacuum agnovit, dixitque secum: Nihil boni habeo, nec aliquid boni sine Deo præstare possum, nec aliquo bono dignus sum; sed si scirem quid ei placitum esset, etiam si mihi moriendum foret, id exequi conarer. Hæc cogitatio ipsum nudum mihi obtulit, ideoque occurram, illumque vestiam: Secundò severitatem mei judicij horrendi, & inevitabilis vehementer apprehendit, atque illud ut ancipitem gladium intellectum velut manu gestans, & ante me prostratus se suaque omnia, ac præsertim voluntatem suam meo commisit arbitrio, dicens, se velle quidquid ego vellem, faceremque; de se quod mihi collibitum foret: hæc resignatio gladium severitatis meæ abstulit, & ab illo avertit, ejusque loco successit misericordia. Tertio extendit manum veniam-

Revel. 1.6.
c. 22.

10.
Contriti
hominis
emblemata:

In vita s.
Ludovici
c. 94.

9.
Joinvillij
impia
optio.

niamque petiit, ubi se multorum peccatorum conscium agnoscens, ex quibus sine divino auxilio emergere non posset, dixit: Domine Deus, ecce me hominem multorum criminum reum, & condemnatione apud tuum tribunal, punitioeq; dignissimum; de tua tamen bonitate confisus, subsidium spero: nec enim Paulum persecutorem, nec Magdalenam peccatricem despexisti; atque similis misericordiae obtinendae spe animatus, ad tuae clementiae pedes confugio, ut mecum secundum solitam tuam pietatem agere digneris: atque haec humillima misericordiae veniaeque cum spe conjuncta postulatio, fecit ut ejus desiderio annuerem, manumque reconciliationis illi porrigerem, ac in posterum dulcedinis meae gustum in illo aucturus sum: modò tria exequatur.

1. Superbiam & ostentationem omnem amandet & fugiat, humilisque animi demissionem amplectatur.
2. Rerum caducarum amorem temperet, illique utatur tanquam exactam aliquando rationem redditurus.
3. Ad suos suorumque subditorum mores corrigendos curas cogitationesque sedulo conferat. En facilem exercendam contritionis methodum, modò illa non lingua tantum & verborum sono exerceatur, sed cum Deo, qui spiritus est,

interiores animi sensus affectusque in idem consentiant, atque conspirent.

§. 3.

De satisfactione & emendatione.

Qui peccatum lethale committit, praeter culpam, quae ^{1.} Amoris satisfactionem imperat. ^{2.} Turci superbia exemplum.

incurrit, etiam poenis aeternis obligatur, quae, si contritio doloris & amoris magnitudo illas non debeat, in limitatas finitaeque commutantur, hic aut in futuro saeculo persolvendas.

Amor sanctus, qui suis clientibus maxime prospectum vult, ut in hac vita isti funesto debito quibus possunt modis, faciant satisfactionem, variis rationum momentis impellit; ac primò monet, ut poenas à confessario injunctas sedulo & accurate, gratanterque accipiant, & si plus quam vulgus bene sapere velint, magnas expostulent, quia cum illae in Sacramento poenitentiae susceptae, & quodammodo Christi Sanguini permittae, satisfaciendi vim ceteris poenis sponte ascitis longè majorem fortiantur, quò majores injunguntur, eò amplio rem debitorum partem expungunt.

2. Monet, ut praeterea plurimorum, qui sanctitate in Ecclesia floruerunt, exemplo,